

*Bibliothèque numérique*


**medic@**

**Colon, Pierre - candidat / Mertrud,  
Jean-Claude - président. - De calculo  
renali**


**1770.**


***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,  
Regii Chirurgorum Collegii  
Typographi.***

***Cote : ms 2343, n°30***



Gg





D E

# CALCULO RENALI, THESES

## ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

*Quas, DEO DUCE & præside M. JOANNE-CLAUDIO  
MERTRUD, Facultatis Artium & Chirurgiæ Magistro,  
Academiæ Regiæ Chirurgiæ Consiliario, Anatomes &  
Chirurgiæ in horto Plantarum Regio Demonstratore, &c.  
tueri conabitur, PETRUS COLON, Æduensis, Artium  
Liberalium in almâ Universitate Parisiensi Magister;  
& Nosocomii generalis in domo dictâ Bicêtre, Chirurgus  
præcipuus.*

P A R I S I I S,  
IN REGIIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,

*Die Sabbati septimâ Aprilis, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam  
A. R. S. H. 1770.*

P R O A C T U P U B L I C O  
E T S O L E M N I C O O P T A T I O N E.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii  
Typographi.

---

M. D C C. L X X.

DE  
CALCULO RENALI  
THESES

ANATOMICA ET CHIRURGICAE.

Quas, Dno Duce & p[re]s[ide] M. JOANNE CLAUDIO  
MERTROD, Facultatis Ar[ti]um & Chirurgiæ Magistro,  
Academiæ Regiæ Chirurgiæ Consi[li]ario, Anatomæ &  
Chirurgiæ in h[oc] P[ar]ticulari Regiæ D[is]cussor[um], &c.  
tunc conatu, Petrus Colon, Aduers[us], Ar[ti]um  
Liberalium in ead[em] Universitat[is] P[ar]isiensi Magister,  
& N[ost]r[us] generalis in h[oc] m[od]o v[er]bi Baccal[us], Chirurgus

PARISIENSIS  
IN REGIIS CHIRURGICORUM SCHOLIS

DE S[an]cti Petri & S[an]cti Pauli p[ar]ticulari p[ar]te m[od]o ad p[ar]tem

PRO ACTU PUBLICO  
ET SOLEMNI COOPTATIONE



Typis P. A. L. P[ar]isiens[is], Regiæ Chirurgiæ Collegii  
Typographi

M. DCC. LXX.



*D. O. M.*  
D E  
CALCULO RENALI,  
THESES  
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.  
*EX ANATOMIA.*

**T**ANTA est in corpore humano secretionum & operationum varietas, tam diversa in liquoribus, partium heterogenearum congeries, tam stupenda in viscerum structurâ tubulorum, sanguinem aliosque sibi permixtos latices, per flexus labyrinthæos agentium, intricatio, tanta ad concretionem calculosam proclivitas, ut nulla ferè pars vel Regio re-

A

periat in quâ non aliquando Calculi inventi vel indè exclusi fuerint, nullum omninò viscus ab hoc onere liberum & immune dixeris.

Nec mirum si in ventriculo, intestinis, corde, vasis sanguiferis, cerebro, oculis, naribus, tonsillis, ductibus Stenonis & Warthonii, pulmone, thimo, hepate, liene, pancreate, mezenterio, inventos ac deprehensos Historiæ passim & Observationes exhibeant (a). De his omnibus, aliisque in vesicâ felleâ, urinariâ, prostatica, utero, &c. Repertis differere vetat angustior pagina; de illorum formatione ut & de secretionum mechanismo, silere jubet institutio; de Calculo Renali, prælibatis quibusdam de partis structurâ, nobis agendum incumbit.

IN utrâque regione lumbari, ut plurimum infra jecur & lienem, extrâ peritonei lamellam, deprehenditur viscus atterubens, densâ pinguedine obductum, textû cellulari involutum, phaseoli formam æmulans, renis nomine: hoc lotii secretorium, communi propriâque membranis instructum, tubulis tenuissimis bellinianis dictis refertum, urinam à sanguine arterioso secretam in calices ac pelvim impluit, ut indè per urethères in vesicam urinariam delabatur, foras educenda.

OBDDUCITUR superius peculiari parte galeam aut cristam gallinaceam referente, coloris atro-flavescentis, cui nomen glandula super Renalis sive capsula atrabiliaris vel etiam ren succenturiatus. Substantiam habet glandulosam, rubentem, cavitate donatam, liquore subluteo madidam, arteriis, venis nervisque refertam, sed nullo sensibili ductu excreta-

(a) Kœmpfer. Amœn. Exot. Fasc. 11, pag. 400. Ephem. germ. D. 1, A. 11, Obs. CLXXXI, pag. 278, &c.

Miscell. Curios. A. 1. V. Heyster Instit. Chirurg. Ephem. Germ. Hottinger in Ephem. Germ. de his omnibus Legatur Dissertatio de Calculis in locis inusitatis natis & per vias insolitas exclusis Authore Joh. Aug. Schulze, Præside Abrah. Vatero. Disput. Chirurg. Select. Albert. Haller. Tom. IV, pag. 19 & seq.

Le Dran, Operat. de Chirurg. & Obs. de Chirurg.

Journal des Savans, ann. 1688 & suiv.

Mémoires de l'Académie des Sciences, de Chirurgie, &c.

rio. De huiusce glandulæ usu licet multa decantaverint Auctores, res adhuc spissiori obvolvitur caligine.

De genuinâ Renis substantiâ maxime dissentiunt Anatomici; alii enim vasculosam, glandulosam alii, quidam tubulis albis-  
simis constatam, nonnulli etiam peculiari parenchymate constan-  
tem volunt. Tantas lites componere valeat audacior mi-  
nerva.

INSTITUTA per dorsum Renis, juxta ipsius longitudinem  
sectione methodicâ, triplex exurgit substantia; exterior cor-  
ticalis quæ prima sive glandulosa, subfusca est; alia radiata  
quæ vasculosa, subrubra, tertia verò mammillaris, dilutior,  
plurimis papillis conicis in totidem calices liberè nidulanti-  
bus instructa, in conspectum venit.

NON idem in quolibet Rene papillarum numerus: quando-  
que duodecim, non rarè novem annumerari solent. Ex ca-  
licium congerie constar pelvis, tripartita, lata, sensim angus-  
tior & in ductum membranaceum ad vesicam usquè proten-  
sum, uretheris nomine, desinens.

TRIPLICI, vel ut alii volunt, quadruplici membranâ  
componitur urether; cellularis exterior & communis, fibras  
quasdam musculares secundam constituentes obvolvitur; tertia  
nervea vel tendinosa, quarta deniquè villosa, mucoso liquore  
mader, contra nocivos urinæ sales vallum perutile. Urether  
in vesicam, non recto foramine, sed obliquo inter tunicas  
itinere, ita tendit ut membrana secunda prioris aperturam  
claudat & sic cæteræ, totidem fere valvulas componentes, quò  
faciliùs in vesicam depluat urina, retrocedere nescia.

### EX CHIRURGIA.

QUAM lugenda sit miselli Calculo vesicæ laborantis fors  
norunt omnes: sed quantò crudelior hic affectus, si Calcu-  
lus Renum tantam auspicatus fuerit molem ut uretherem tran-  
sire nequeat, solus novit rei Chirurgicæ peritus. Nihil enim  
hoc in casu valet Ars, nisi benignè filum per tormentorum  
angustias præbere dignata fuerit alma genitrix rerum. Cal-  
culus in Rene concretus, iners ac innoxium corpus est si  
tantâ levitate donetur, ut nullam vicinis partibus noxam in

4

ferre valeat; sed eheu! Quoties frigidus in herbâ latet anguis! Quoties enim ad auctâ mole, uretheris angustia detinetur, vel asperitate figuræ tenellas pelvis lædit papillas, mox metuenda renascitur hydra: adest calamitatum cohors. Jam partis inflammatio, undè dolores acerrimi nephritidis subsequenti & ferè insanabilis oriuntur. *Dolores ad hypochondrium & ilia premunt & ad lumbos lumborumque musculos, & patitur similia ac mulier partûs doloribus correpta.* (a).

QUAM difficilis, quam anceps sit Calculi Renalis diagnosis arguit celeberrimus Boerhaave (b) qui immumeras nephritidis causas, indagatori perspicacissimo vix familiares asserit, sed omnes licet multifariæ stirpis soboles, unâ eademque methodo, primis temporibus debellandas proponit. A quacumque enim causâ ortum ducat nephritis, per assueta inflammationis media curari debet (c).

INITIO mali, cum res in angulo latet, venæ sectiones plus minus-vè repetitæ ratione intensi doloris febrisque concomitantis aut turgescentiæ vasorum, potus diluentes, aquosi, emulsiones, fotus, cataplasmata, inunctiones, balnei, &c. in usum prodeunt. Opiata in dolorum sævitia commendant plures; verum parcâ manû & non nisi maximâ cum cautelâ adhibenda censemus. Ex fallaci enim levamine, sæpius occurrit gangræna lethalis; & dum sese melius habere autumat æger, præceps ruit in exitum.

VARIOS pro diversitate symptomatum sibi eventus fortiri nephritidem docet experientia non fallax; alia enim resolutione, quæ utinam frequentior! Suppuratione alia, quædam gangrænâ corripitur. Non raro etiam schirrosam indolem induit Ren vitio maculatus. In solâ suppuratione Renis Calculum hospitantis, ancipitem sed unicam salutis anchoram proponere non dubitamus.

Ex præcipuis Renis suppurati symptomatibus, præsertim si

(a) Hypocrates de internis affectibus. Charter. Tom. VII, pag. 631.

(b) Van-Swieten, Commenta. in Herman, Boerhaave, Aphorism. Tom. III, pag. 224, §. 994.

(c) Ibid. pag. 234, 236. §. 997, 1000.

5  
dato tempore, negentur resolutionis signa, nulla vel pauca fiat secretio, dolor licet minùs intensus, in eodem statu ferè hæreat, horrores varios & insolentes experiatur æger, intumescentiâ œdematofâ corripitur regio lumbaris; tunc ad maturantiâ cataplasmata & emplastra confugiendum; quibus si pars tumens in altum extendatur, scalpellum protinùs intrà cavum abscessûs mittere ne dubites: datâ vitioso latici idoneâ aperturâ, digitus in imo Renis cavo omnes blandè perlustret sinus, hostem lyncæis oculis exploret; mox ubi detegitur, ampliatio vulnere, volsellâ vel unco educatur, mittendus foras.

Si à vulnere, ictu aut præmisso quo vis abscessû, patefiat in regione lumbari sinuosum ulcus; indefinenter stillante urinâ, durefcunt ulceris margines, præprimis si in Renis cavo nidulentur lapilli aut grandior calculus, hinc excavatur fistula vix unquam, nisi post eductum Calculum, coalitionis capax.

In proposito casu, demisso intra cavum labyrinthæi ductûs specillo fulcato, Calculum scrutare; mox ubi tactû persentitur, mitte juxtâ sinûs longitudinem ferrum, musculos, pinguedines propriamque Renis substantiam ad imam usquè cavitatem secans, ut indè immisso forcipe, Calculus evelli queat. tunc callosas ulceris oras tollere, fauciatasque partes ad constantem solidamque cicatricem per idonea medicamina debitasque deligationes, conducere, fatagit Artis prudens.

*F I N I S.*

